



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Leorini Lavinga, Oppidvm Rhetiae
Amoenissimvm Ac Pervetvstvm, Sitvm In Ripa Danvbiana**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1567

VD16 R 1442

Ad Georgivm Cracovivm Ivreconsvltvm, Illvstrissimi Saxoniae Electoris
Avgvsti Consiliarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12428

Quid? quod es humanus: nec tu potes ipse negare
Dulcia conuictus membra fuisse mei.
Pro quibus ut tenuis referatur gratia factis:
Nominis hic fas est nos meminisse tui.
Credemibi, mea si Letheos fugerit amnes
Musa, pia sermo posteritatis eris.
Carmina morte carent, & carmine cognita virtus
Notitiam reges carmine gentis habent.
At tu perge diu Musis, uir magne, fauere:
Te quoque non paruum te manet inde decus.
Perge, nec exiguum precor aspernare libellum:
Ardua quod uirtus te pietasque iubet.
Sensero, perpetuas tibi pangam carmine laudes:
Aeternoque tuus tempore uiuet honos.
VALE.

AD GEORGIVM CR
COVIVM IVRECONSULTVM
ILLVSTRISSIMI SAXONIAE
ELECTORIS AVGVSTI
CONSILIARIVM.

ME Lauinga tener, Rhetis urbs culta coloni:

Parua, sed irriguis diues et vber aquis.

Sirius aestiuo findat licet arua calore:

Et succis demptis areat omnis humus:

Prata pererrantur lustrata perennibus undis:

Floribus hæc certant vallibus Ida tuis.

Terra ferax Cereris, pinguisq; uligine glebæ

E gremio largas diuite fundit opes.

Perq; relucentes viridanti gramine campos

Per spicuas fontes eiaculantur aquas.

Hic ego dego locis: hic emollita iuuentæ

Artibus & linguis imbuo corda rudis.

At non Mysorum sic hinc reuocatus ad oras

Polliciti tue oriura fidemq; mej.

Noni equidem, nec uana fides: me nempe iubebas

Ad uos hinc tecum **CRACO** referre pedes.

Vota uenire tibi mea sæpe fuere: Vicissim

Impedièrè meum fata (recordor) iter.

Est aliquid fati concedere: nemo beatus

His aduersari credidit esse pium.

Nec nihil hoc prohibet sæuæ contagio pestis:

Bellag; Saxonie qua modò cernit ager.

B *Outmans*

O vtinam lætus belli iam finis adesset!

O vtinam pax hanc longa bearet humani,

Scis benè scis bello nihil esse nocentius : omne

Nempe malum belli fert vitiosus amor,

Nulla salus bello : reuerentia nulla Deorum :

Armorum strepitu publica iura silent.

Optima pax rerum : pax oppida seruat & vrbis

Pax ciues æquos regnaq; tuta facit.

Pace viget pietas, & legum sancta potestas :

Gloria Musarum pace pudorq; viget.

Sed Deus illa suo moderabitur omnia nutu :

Qui dabit, vt Martis cesset in orbe furor,

Si qua mei tamen est in te quoq; cura relicta :

Nomen inoblito corde fer, oro, meum.

Summotumq; pari studio tueare, fideq; :

Ne sperata meam deserat aura ratem,

Non tibi dedecori, nec ero, vir magne, pudor,

Gratia nec meriti surda futura tui est.

Quantumcunq; mee laudes & scripta valebunt

Officio dabitur scilicet omne tuo.

AD VALENTINVM FORST
RVM IVRECONSULTVM